

gula spiritu consilii moderante vitamus, cuius nimirum pondere, dum a precipitationis levitate cohibemur, dum inconsulte quicquam agere prohibemur, quid, quo ordi(236^b)ne, que congruentia loci, temporis, persone geri oporteat, informamur.

Pars extrema et suprema armature nostre galea salutis 5 est, qua caput contegitur, in quo sunt omnes sensus corporei. caput viri Christus, caput vero Christi Deus secundum apostolum est. galea, qua tegitur caput nostrum, divinitatis veneratio est. propter hujus custodiam et illesionem jussum est nobis, ut simus prudentes sicut serpentes. serpentes, ut notum est, omne 10 corpus ictibus exponunt et opponunt, ut caput incolume conservare possint. ita et nos agere debemus: quicquid in hoc mundo fluit, more fluentis aque tanquam peripsima arbitrari, ut solum Christum lucrifaciamus. ad hoc autem magisterio spiritus intellectus instituimur, qui, rationalem in nobis sensum 15 radio divine cognitionis illustrans, dum, quantum reverentie creatrici illi majestati deferre debeamus, ostendit, etiam in adversis, que ordinationis ejus judicio pati contigerit, affectum nostrum ab obsequio venerationis ipsius deflecti minime permittit. unde David quoque, plagis discipline celestis afflictus, 20 sed tamquam conditoris reverentia a verbis querele compressus, 'obmutui', inquit, 'et non aperui os meum, quoniam tu fecisti me'.

Ecce hec sunt arma militie nostre, non carnalia, sed spiritalia, id est, per Spiritum nobis ministrata, per Spiritum videlicet timoris, Spiritum pietatis, Spiritum scientie, Spiritum fortitudinis, Spiritum consilii, Spiritum intellectus: gladius, lancea, clypeus, ocree, lorica, galea. in gladio, ut breviter dicta recapitulemus, triplex eruditio, in lancea gemina dilectio, in clypeo divina protectio, in ocreis injuriarum oblivio, in lorica virtutum absconsio, in galea salutis consummatio consideratur. 30 his igitur (237^a) armis instructi surgamus et pugnemus adversus inimicos, pugnemus adversus Philistium, qui interpretantur 'duplex ruina' vel 'cadentes poculo'. duplex ruina est fragilitas carnis et instabilitas mentis, casus poculi est ineptatio voluptatis. hos hostes quicunque prevalere sibi permiserit, cum Sam- 35 sone illo, privatus lumine, ab eis dueetur ad molam, id est, impietatis circuitum. cum videlicet aut pusillanimitate victus

13 1 Cor. 4, 13.

20 Psalm. 38, 10.

Sitzungsber. d. phil.-hist. Kl. CL. Bd. 4. Abb.